



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio IV. De amiſſione gratiæ sanctificantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

De Iustificatione per Gratiam:

505

SECTIO IV.

De amissione gratiæ sanctificantis.

Amittitur gratia per peccatum.

Certum est primò, gratiam sanctificantem semel in iustificatione acquisitam posse amitti totam, & eam omnem statim destrui adueniente peccato morali quolibet, sic enim definitur in Tridentino sess. 6. cap. 15. & colligitur ex Apostolo *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt*: quia scilicet nulla potest esse conuentio lucis ad tenebras, Dei ad Belial, gratia enim tametsi qualitas est diuina & supernaturalis opposita tamen est (vt dixi) tum priuatiuè tum contrariè peccato mortali, cuius effectus formales omnes oppositi sunt omnibus effectibus gratiæ, abominatio vera desolationis in loco sancto: gratia enim facit sanctum, Dei amicum, iustum & rectum, Dei filium adoptiuum, Spiritus Sancti templum, & Deo similem. Peccatum vera malitia est, inquinans totum hominem, constituens inimicum & exolum Deo, destruens totam rectitudinem tollens ius ad hereditatem, & dignum reddens æterna pœna, filium efficiens diaboli, pro spiritu Dei spiritum substituens nequitia, à Deo elongans.

Peccatum destruit habitum charitatis.

Certum est secundò, nunquam destrui gratiam per peccatum mortale, quin totus simul destruat habitus charitatis, & omnium virtutum moralium infusarum, cum omnibus donis Spiritus Sancti, quia destructa forma necesse est destrui omnes proprietates sequentes formam, anima recedente potentia omnes recedunt. In homine supernaturalem habente vitam forma & veluti anima est gratia sanctificans, potentia ac proprietates sunt habitus virtutum & donorum: auferuntur ergo illi omnes ablata gratia exceptis habitibus Fidei & Spei, quos certum est nunquam destrui nisi per peccata desperacionis & infidelitatis vt dicitur in tractatu sequenti de virtutibus, & hoc ex sola indulgentia contingere ostenditur eo loco.

Status difficultatis.

Difficultas igitur duntaxat esse potest de certitudine quam habere homo viator potest quod habeat gratiam: vocatur autem certitudo, cognitio ita excludens formidinem omnem oppositi, vt non possit illi subesse falsum: hæc certitudo potest esse triplex alia est certitudo fidei cuius infallibilitas oritur ex aliqua reuelatione: alia Theologica, quæ oritur ex euidentia demonstrationis alicuius, in qua vna præmissa sit de fide altera sit naturaliter euidentis. Denique alia certitudo est moralis, quæ quamuis non sit omnino infallibilis, nititur tamen coniecturis adeò probabilibus vt non relinquunt vllam dubitationem, & ferè nullam formidinem.

Ratio prima dubitandi.

Ratio verò dubitandi est, quia primò ex scripturis videtur posse colligi certitudo ista iustitiæ, Ioannis 14. *Vos cognoscetis eum quia in vobis erit*, sermo enim ibi est de Spiritu Sancto quem habemus in nobis per gratiam, ergo cognoscere certò possumus quod sumus in statu gratiæ. 1. Ioan. 4. *In hoc cognoscimus quia in eo manemus & ille in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.*

Secunda.

Secundò, si valeret probatio vulgaris ducta ex Eccl. cap. 9. *Nemo scit vtrum amore an odio dignus sit*, sequeretur neminem cognoscere posse quod sit in peccato, dicitur enim quod nemo scit vtrum sit dignus odio, hoc autem absurdum est, quia cum occidit aliquis voluntariè hominem certò scit se peccasse, ergo similiter cum est contritus certò scit se habere gratiam.

Tertia.

Tertiò, si possum esse certus quod eliciam actum veræ Fidei vel amoris, possum esse certus quod sum in gratia: possum autem esse certus quod credo aliquem articulum purè, quia Deus illum reuelauit, &

Tom. I.

quod Deum amo super omnia quia dignus est, ergo possum esse certus quod sum in gratia.

Dicendum tamen est neminem esse posse certum certitudine fidei, vel certitudine Theologica quod habeat gratiam: posse tamen aliquos eximie sanctos habere certitudinem moralem quæ prudenter reddantur securi de statu gratiæ.

Affertio.

Primam partem, Catholici omnes Doctores asserunt contra sectarios, qui volunt debere fidelium quemlibet credere omnino quod sit in gratia, & prædestinatus, asseruntque hanc esse fidem quæ iustificatur. Conuincitur autem error eorum primò ex Scripturis Prouerbiorum 20. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato*: 1. ad Corinthios cap. 9. *Nihil mihi conscius sum sed non in hoc iustificatus sum*, quasi dicat vt explicat S. Thomas: *Ad hoc vt sim iustus non mihi sufficit quod non habeam conscientiam peccati vllius mortalis*. Ecclesiasta 9. *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit*, vbi non est sermo de peccatoribus qui optimè sciunt se peccasse, sed asseritur solum de iustis quod eorum nemo sciat vtrum sit dignus odio an amore. Secundò idem frequentissimè probant S. Patres v.g. Augustinus in Psal. 50. ad ea verba (incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi,) & ad ea verba Psalm. 41. (ad me ipsum anima mea turbata est.) Chrysostomus ad eum locum Ecclesiast. 7. (non te iustifices ante Deum quoniam agnitor cordis ipse est) alios dabunt plurimos Bellarminus 1. 3. de iustificatione, Stapletonius 1. 7. Suares 1. 9. c. 9. Tertiò denique ratio est, quia hæc propositio, ego sum in gratia non est reuelata explicitè in se ipsa vt patet, neque implicitè in alijs propositionibus reuelatis vniuersalibus, nam omnes propositiones reuelatæ de statu iustificationis sunt conditionatæ: v.g. cum dicitur homo baptizatus est in gratia, homo contritus caret peccato conditionales sunt, si est verè baptizatus, si est verè contritus: sed non est de fide quod impleta sit hæc conditio; quæ pendet ab intentione ministri, vel ab actibus nostris quorum neutrum certum esse potest.

Prima pars.

Secunda pars, de certitudine Theologica cui nequit subesse falsum non est minus euidentis, quia certitudo Theologica exigit præmissam vnam reuelatam, & alteram certam naturaliter, dixi autem non posse dari propositionem vllam reuelatam specialiter, neque alteram certam euidenter.

Secunda pars.

Tertia pars, de certitudine morali quæ omnem excludat anxietatem recepta est apud omnes: *Gloria nostra hæc est* (inquit Apostolus) *testimonium conscientia nostra*, & aliàs *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*: adducuntur etiam sancti Patres præsertim Bernardus *serm. 6. in Cantica*, vbi asserit signa tria inhabitantis in nobis Dei, si abstinens à peccatis: si facis dignos pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ. *Si hæc* (inquit) *enseruo non ambigo adesse sponsum, verbi siquidem hæc copia sunt, & de plenitudine eius hæc omnia accepimus*. Denique probat efficax ratio, quia vbi sunt moraliter certæ causæ omnes & effectus iustitiæ ibi moraliter certum est esse iustitiam, in quibusdam autem duò illa reperiuntur, nam causæ iustitiæ sunt sacramenta & actus boni, qui ergo post baptismum, non scit se peccasse, & qui sæpè post peccatum magna cum diligentia confessus est, illi magnam causam habent non formidandi: effectus autem iustitiæ sunt abstinerere à peccatis, desiderium ardens placendi Deo, bona opera pœnitentiæ præsertim & charitatis.

Tertia pars.

Ad primam Resp. nihil ex illis Scripturis concludi posse pro certitudine omnimoda status gratiæ. Ioan. 14. dicitur quod Apostoli cognoscet personam Spiritus Sancti,

Solutio primæ dubitationis.

Sic

Sancti,

Sancti, & Myſterium Trinitatis, non dicitur quod cognoscent certò, ſe illum habituros inhabitantem, niſi certitudine quadam morali, de qua etiam loquitur S. Ioannes 1. illa epiſt. *In hoc cognoscimus quia in illo manemus, &c.* Vel certè in vtroque loco habetur generalis promiſſio facta Eccleſiæ.

Ad ſecundam patet ex dictis locum illum Eccleſiaſtæ intelligendum non eſſe de peccatoribus, ſed de iuſtis tantum.

Ad tertiam Reſpondeo poſſe quidem nos eſſe certos quod eliciamus actum aliquem fidei aut amoris, ſed neminem ſcire certò poſſe quod eliciat actum Theologicum fidei & charitatis id eſt ſupernaturalem, vt ex ſequenti tractatu patebit.



DISPUTATIO IV.

De altero effectu Gratia Christi id est de merito actuum nostrorum.



Dixi quomodo per gratiam Chriſti, homo ſanctificetur & iuſtificetur, nunc videndum eſt quomodo per eam glorificetur & coronetur: *Quos enim vocauit hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit illos & glorificauit*, quia gratia quos vocando efficit ſanctos ſanctificatos euehit ad coronam. De hoc ergo mirabili effectu diuinæ gratiæ, per quam efficitur homo dignus præmio æterno, & gloriatur in ſpe gloriæ filiorum Dei tria mihi video neceſſaria. Primum ſit, exiſtentia & quidditas meriti. Secundum ſit, ſubiectum meriti. Tertium ſit, obiectum meriti. Primum oſtendit quod actus noſtri verè ſunt meritorij & quid ſit mereri. Secundum declarat quinam actus ſint meritorij. Tertium cuius mercedis ſint meritorij.

QVÆSTIO I.

Exiſtentia & quidditas meriti operum bonorum.

S. Thomas, quæſt. 114.

Meritum
quid ſit.

Meritum vniuerſè appellatur valor operis, propter quem debetur ei alicuius præmij retributio, breuius dixerim eſt dignitas præmij: *Ambulant mecum in albis, quia digni ſunt.* Primum igitur quod in hac tota materia video eſſe maxime neceſſarium eſt firmiſſima perſuaſio gloriæ quam meremur per ſingulos actus bonos, quia illud videtur eſſe primum caput ſcientiæ ſanctorum quos deducit Deus per vias rectas, vt primum omnium videant regnum Dei, quod merentur rectè operando. Proponenda itaque primo loco eſt & probanda veritas Catholica circa exiſtentiam huius valoris. Secundò quid ille ſit & quotuplex.

SECTIO I.

Veritas Catholica circa exiſtentiam meriti: id eſt verum opera hominis iuſti verè ſint meritoria præmij æterni.

S. Thomas, articl. 1. & 3.

Certum eſt primò, hæreticos huius temporis omnium inimicos bonorum operum, & meriti eo-

rum hoſtes inſenſiſſimos erraſſe tripliciter circa exiſtentiam meriti.

Primò enim volunt neminem iuſtum vlla vquam bona opera facere, ſed quicquid viri faciunt etiam ſanctiſſimi, quantumvis bonum videatur ac laudabile, vitiatum tamen eſſe ac inquinatum, imò peccatum grauiffimum: ſic enim expreſſè tradit Caluius l. 3. *inſtitutionum* c. 12. §. 4. & c. 14. §. 9.

Secundò neminem teneri bona vlla opera facere, vel etiam vllam ſeruare legem, Apoſtolo proficiente *Quod iuſto non eſt lex poſita.*

Tertiò, negant vlla iuſtorum opera eſſe digna præmio apud Deum, ſed tantum pœna, ſic enim habet Caluius in *Antidoto Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 2.* Poſteriores autem hæretici vmbra aliquam meriti admittunt, quia quamvis omnino negent opera noſtra mereri gloriam æternam, tamen fatentur quod ex liberalitate maxima Deus retribuit illis præmium aliquod temporale.

Certum eſt ſecundò, Catholicam doctrinam de operibus meritorijs triplici capite contineri vt explicatur in Concilio Tridentino ſeſſ. ſexta capite decimo ſexto.

Primum eſt poſſe homines iuſtos cum Dei gratia plures elicere actus verè bonos & laudabiles, *Arbor enim bona bonos fructus facit.*

Secundum eſt teneri homines etiam iuſtos elicere multa huiusmodi bona opera ſine quibus ſalutem non ſunt conſequuturi, *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

Tertium eſt homines iuſtos per huiusmodi bona opera verè ac propriè mereri vitam æternam, & alia plura dona ſpiritalia: adeò vt propter illos actus debeatur illis gloria vt ſtipendium & vt corona. Duo illa prima capita ſæpè ſuperiùs probata ſunt, de tertio propriè hic agendum eſt.

Ratio ergo dubitandi primò eſt, quia in ſcripturis vita æterna dicitur eſſe gratia. Romanorum 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna: ſi autem gratia iam non ex operibus aliqui gratia iam non eſt gratia*, vt habetur ibidem cap. 11. Dicitur etiam quod coronamur ex miſericordia, *Pſalm. 102. Qui coronat te in miſericordia*, dicitur hæreditas primæ Petri 3. *In hoc vocati eſtis vt benedictionem hæreditate poſſideatis*, hæreditas autem filijs non datur vt merces, quæ debetur famulis potius, & mercede conductis. Dicimur eſſe ſerui inutiles etiam poſtquam fecerimus omnia quæ præcepta ſunt nobis, dicuntur non eſſe condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: vocamur ad conuiuium ſponſi Chriſti ſine pretio, *Emite absque argento, & absque vlla commutatione mel & lac.* Denique dicitur neminem conſidere poſſe in propriis meritis ſed in Deo ſolo, & in Chriſto Ieſu in quo ſolo eſt nobis ſalus, vel enim merita mortis eius ſunt ſufficientia vel non ſunt, ſi ſufficienti ad ditandos fideles omnes filios Crucis, vt quid? iterum iubemur emere, quod iam noſtrum eſt, ſi non ſufficienti, *Vana ergo eſt fides noſtra vana predicatio noſtra.*

Secundò, conſentire videntur Patres verbi gratia inculcat Auguſtinus ſæpiſſimè quod Deus non coronat merita noſtra, ſed dona ſua: Et Hilarius in *Pſalmum 51.* Serio proſiteretur inſufficientia eſſe opera noſtra, niſi miſericordia Dei etiam in hac iuſtitia voluntate ſuarum demutationum & morum vitia non reputet.

Tertiò, vbi eſt meritum condignum ibi debet eſſe iuſtitia rigorosa proprium debitum, & deinde aliqua æqualitas operis & præmij, neutrum autem in noſtris actibus reperitur, ergo illi non debent dici eſſe meritorij æternæ gloriæ.

Dicendum